

SCHOL. Ab Aristotele dicitur ἀκρολασία, q. d. impunitas, ἀκρόλαστος nō castigatus. Tales enim intemperantes fieri solent. In hoc excessu gravissimè semper peccatū est, ut tum ex sacris tum ex profanis historiis apparet. Noah & Lot intemperantiū sese vino ingurgitârunt. Israëlitæ in deserto cum Moabitibus comessabantur, Num. 25. & 1. Cor. 10. v. 8. Notus est dives epulo, Luc. 16. Et Mithridates fertur certa constituisse præmia illis, qui plures cibos ventri destinâssent, aut copiosiore se ingurgitâssent vino, ut sui similes haberet, quod idem de Alexandro M. referunt historici. Antonii celebrata est immodica vini profusio; & ne longè exempla petantur, nostratia intueamur. Porro intemperantia etiam Luxuria dicitur, cujus duas faciunt species ethici, nempe voracitatem & bibacitatem, quarū illa Arist. dicitur γαστριμαργία. γαστριμαργός autem dicitur, qui ventri ad insaniam usq; est deditus; qualis fuit Philoxenus, qui sibi optavit collum ad longitudinē colli gruis, ut cibi suavitatem diutiū sentiret; Et Milo Crotoniataurum quadrimum unâ vice vorâsse scribitur. Bibacitas Aristoteli dicitur οἰνοφλυγία. οἰνόφλυξ dicitur is, qui vino bullit, seu qui vinum eructat, ein weinschlauch. Sic Græcorum celebratur bibacitas, unde proverb. pergræcari, id est, græco more bibere, id est, capacioribus poculis haurire. Lex enim illis erat: ἢ πίθι ἢ ἀπίθι, id est, aut bibe aut abi. Est etiam nota Alex. M. temulentia, & populi Judaici ebriositas, de qua Esa. cap. 5. & alibi passim. De Antonio refert Cic. in Philippicis orationibus, quòd in tribunali iudex sedens illud esculentis & potulentis impleverit, quæ certè magna est ἀσωτία.

§ Temperantiæ in defectu opponitur Stupiditas, qua homo abhorret ab omni voluptate alimentaria.

SCHOL. Ab Aristot. dicitur ἀνααιθησία, id est, sensus carentia, videlicet in cibi & potus suavitate. Ut autem quamplurimi homines semper extiterunt & extant, qui intemperantiæ vitio laborarunt & laborant, ita paucissimi

*Due species
luxuriae.
Voracitas.*

*B.
Bibacitas.*